

Petrus de Vinea

*Ep. II 29 (Curas nostras
consideratio studiosa...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. II 29 (Curas nostras
consideratio studiosa...)*

1253

Capitano Regni, ut precipiat foderum preparari ad exercitum.

1. Curas nostras consideratio studiosa sollicitat, qualiter in uictorioso exercitu nostro, quem bellatorum concursus amplificat, rerum uictualium copiam procuremus. 2. Cum itaque minante iam temporis hiemalis instantia, de locis solitis, ex quibus per terram hactenus facilis reddebatur accessus, discriminosa uiarum asperitas fodri confluenciam interdicat, consulta deliberatione prouidimus, ut, si quis ex hoc defectus posset emergere, transuectionis marinae suffragio suppleatur. 3. Quocirca discretioni tuae mandamus, quatenus per Syciliam, Calabriam et Vallem Gratis in locis maritimis publice facias nuntiari, ut quicumque de partibus ipsis mercator uel alius frumentum uel hordeum, seu alias res uictui opportunas, ad felicem exercitum nostrum deferre uoluerit, debito proinde iure curiae nostrae soluto, securus accedat. 4. Si uero spontaneos inuenire non poteris delatores, tuae circumspectionis industria, quae semper consuevit in nostris seruitiis sensus acuere, mercatores aliquos prudenter inuenias, et diligenter inducas, qui in terris uicinis maritimae uictualia ipsa emere debeant, et ea per terram ad mare translata, praeter solutionem debitam uectigalium ad eundem exercitum sine quolibet impedimento transportent; exoneraturi uictualia ipsa, quae sub testimonialibus litteris tuis eos deferre continget, coram uiris ad hoc per nostram excellentiam ordinatis ad exercitum nostrum, si poterunt, uel ad Castrum Maris, aut Amalfiam, si propter malitiam temporis recta nauigatione uenire non possent. 5. Et ut super hoc de cordibus suis omnis rancoris materia precipidatur, firmiter eis ex parte nostra te promittere

uolumus, quod uictualia ipsa pro exercitualibus usibus poterunt sine contradictione detrahare et concedendi plus offerentibus liberam inuenient facultatem.